

simplex tubarum clangor erit, & non concise ululabunt.

8 Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris.

9 Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum.

10 Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri. Ego Dominus Deus vester.

11 Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis, elevata est nubes de tabernaculo fœderis:

12 Profectique sunt filii Israel per turmas suas de deserto Sinai, & recubuit nubes in solitudine Pharan.

13 Moveruntque castra primi juxta imperium Domini in manu Moyfi.

• *Supp.*  
3. 7.

14 \* Filii Juda per turmas suas: quorum princeps erat Nahasson filius Aminadab.

15 In tribu filiorum Issachar fuit princeps Nathanael filius Suar.

16 In tribu Zabulon erat princeps Eliab filius Helon.

17 Depositumque est tabernaculum, quod portantes egressi sunt filii Gerson & Merari.

18 Profectique sunt & filii Ruben, per turmas & ordinem suum: quorum princeps erat Helisur filius Seduc.

19 In tribu autem filiorum Simeon, princeps fuit Salamiel filius Surifaddai.

20 Porro in tribu Gad erat princeps Eliafaph filius Duel.

21 Profectique sunt & Caathitæ portantes Sanctuarium. Tamdiu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum.

22 Moverunt castra & filii Ephraim per turmas suas, in quorum exercitu princeps erat Elifama filius Ammiud.

23 In tribu autem filiorum Manasse princeps fuit Gamaliel filius Phadassur.

24 Et in tribu Benjamin erat dux Abidan filius Gedeonis.

25 Novissimi castrorum omnium profecti sunt filii Dan per turmas suas, in quorum exercitu princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai.

26 In tribu autem filiorum Aser erat princeps Phegiel filius Ochran.

27 Et in tribu filiorum Nephtali princeps fuit Ahira filius Enan.

28 Hæc sunt castra & profectioes filiorum Israel per turmas suas quando egrediebantur.

29 Dixitque Moyfes Hobab filio Raguel Madianitæ cognato suo: Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis: veni nobiscum, ut benefaciamus tibi: quia Dominus bona promisit Israeli.

30 Cui ille respondit: Non vadam tecum, sed revertar in terram meam, in qua natus sum.

31 Et ille: Noli, inquit, nos relinquere: tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster.

32 Cumque nobiscum veneris, quicquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi.

33 Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres providens castrorum locum.

34 Nubes quoque Domini super eos erat per diem cum incederent.

35 Cumque elevaretur arca, dicebat Moyfes: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, a facie tua. \* *Ma.*  
67. 2.

36 Cum autem deponeretur, aiebat: Reverte, Domine, ad multitudinem exercitus Israel.

## CAPUT XI.

Murmurant Hebræi primum ex defatigatione: dein petunt carnes, cæpas, ollas Ægypti: turbatoque Moyfi spiritu, Deus illius onus in septuaginta seniores partitur qui omnes prophetant; dan-

dantur coturnices, puniturque populus propter car-  
nium concupiscentiam.

• *Psal.*  
77. 19.  
1. *Cor.* 10.  
10.  
• *Psal.*  
77. 21.

1 Interea ortum est \* murmur populi, quasi do-  
lentium pro labore, contra Dominum. Quod  
cum audisset Dominus, iratus est. Et \* accensus  
in eos ignis Domini devoravit extremam castro-  
rum partem.

2 Cumque clamasset populus ad Moysen, ora-  
vit Moyses ad Dominum, & absorptus est ignis.

3 Vocavitque nomen loci illius, incensio; eo  
quod incensus fuisset contra eos ignis Domini.

4 Vulgus quippe promiscuum, quod ascende-  
rat cum eis, flagravat desiderio, sedens & flens,  
junctis sibi pariter filiis Israel, & ait: \* Quis da-  
bit nobis ad vescendum carnes?

• 1. *Cor.*  
10. 3.

5 Recordamur piscium quos comedebamus in  
Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucu-  
meres & pepones, porrique, & cepæ, & allia.

6 Anima nostra arida est, nihil aliud respi-  
ciunt oculi nostri nisi Man.

• *Exod.*  
16. 14.  
• *Psal.* 77.  
21.  
• *1. Pet.* 16.  
6.  
32.

7 \* Erat autem Man quasi semen coriandri,  
coloris bdellii.

8 Circuibatque populus, & colligans illud,  
frangebat mola, sive terebat in mortario, co-  
quens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis  
quasi panis oleati.

9 Cumque descenderet nocte super castra ros,  
descendebat pariter & Man.

10 Audivit ergo Moyses flentem populum per  
familias, singulos per ostia tentorii sui. Iratus-  
que est furor Domini valde: sed & Moyse in-  
toleranda res visa est.

11 Et ait ad Dominum: Cur afflixisti servum  
tuum? quare non invenio gratiam coram te? &  
cur imposuisti pondus universi populi hujus su-  
per me?

12 Nunquid ego concepi omnem hanc multi-  
tudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta  
eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infan-  
tulum, & deser in terram, pro qua jurasti patri-  
bus eorum?

13 Unde mihi carnes ut dem tantæ multitudi-  
ni? flent contra me, dicentes: Da nobis carnes  
ut comedamus.

14 Non possum solus sustinere omnem hunc  
populum, quia gravis est mihi.

15 Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interfi-  
cias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne  
tantis afficiar malis.

16 Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega  
mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu  
nostri, quod senes populi sint ac magistri: & du-  
ces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque  
ibi stare tecum,

17 Ut descendam & loquar tibi: & auferam  
de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent te-  
cum onus populi, & non tu solus graveris.

18 Populo quoque dices: Sanctificamini: cras  
comedetis carnes. Ego enim audivi vos dicere:  
Quis dabit nobis escas carnum? bene nobis erat  
in Ægypto. Ut det vobis Dominus carnes, &  
comedatis:

19 Non uno die, nec duobus, vel quinque aut  
decem, nec viginti quidem.

20 Sed usque ad mensem dierum, donec exeat  
per nares vestras, & vertatur in nauseam, eo  
quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri  
est, & fleveritis coram eo, dicentes: Quare  
egressi sumus ex Ægypto?

21 Et ait Moyses: Sexcenta millia peditum  
hujus populi sunt, & tu dicis: Dabo eis esum  
carnium mense integro.

22 \* Numquid ovium & boum multitudo cæ-  
detur, ut possit sufficere ad cibum? vel omnes  
pisces maris in unum congregabuntur ut eos  
satiemus?

23 Cui respondit Dominus: \* Numquid ma-  
nus Domini invalida est? Jam nunc videbis utrum  
meus sermo opere compleatur.

24 Venit igitur Moyses, & narravit populo  
verba Domini, congregans septuaginta viros de  
senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum.

25 Descenditque Dominus per nubem, & lo-  
cutus est ad eum, auferens de spiritu qui erat  
in Moyse, & dans septuaginta viris. Cumque  
requievissent in eis Spiritus, prophetaverunt, nec  
ultra cessaverunt.

26 Remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requievit Spiritus. Nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum.

27 Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, & nuntiavit Moyfi, dicens: Eldad & Medad prophetant in castris.

28 Statim Josue filius Nun, minister Moyfi, & electus e pluribus, ait: Domine mi Moyfes prohibe eos.

29 At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum?

30 Reverfufque est Moyfes, & majores natu Israel in castra.

31 \* Ventus autem egrediens a Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, & demisit in castra itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram.

32 Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, congregavit coturnicum, qui parum, decem coros: & siccaverunt eas per gyrum castrorum.

33 \* Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.

34 Vocatusque est ille locus, Sepulchra concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt populum qui desideraverat. Egressi autem de sepulchris concupiscentiæ, venerunt in Haseroth, & manserunt ibi.

## CAPUT XII.

Aaron & Maria in mitissimum Moyfen murmurant, apud quos Deus Moyfen laudat a familiaritate erga Dominum. Maria lepra percussa & septem diebus a populo separata, sanitati restituitur, orante pro ea Moyse.

1 **L**ocutaque est Maria & Aaron contra Moyfen propter uxorem ejus Æthiopiſſam,

2 Et dixerunt: Num per solum Moyſen locutus

tus est Dominus? nonne & nobis similiter est locutus? Quod cum audisset Dominus,

3 (Erat enim Moyſes vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra)

4 Statim locutus est ad eum, & ad Aaron & Mariam: Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis. Camque fuissent egressi,

5 Descendit Dominus in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi, vocans Aaron & Mariam. Qui cum iissent,

6 Dixit ad eos: Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.

7 At non talis servus meus Moyſes, \* qui in omni domo mea fidelissimus est: \* Hebr. 3. 2.

8 \* Ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moyſi? \* Ecod. 33. 11.

9 Iratusque contra eos, abiit:

10 Nubes quoque recessit quæ erat super tabernaculum: & ecce Maria apparuit \* candens lepra quasi nix. Cumque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam lepra, \* Dent. 24. 9.

11 Ait ad Moyſen: Obsecro domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod stulte commisimus,

12 Ne fiat hæc quasi mortua, & ut abortivum quod projicitur de vulva matris suæ: ecce jam medium carnis ejus devoratum est a lepra.

13 Clamavitque Moyſes ad Dominum, dicens: Deus, obsecro, sana eam.

14 Cui respondit Dominus: Si pater ejus spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, & postea revocabitur.

15 Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus: & populus non est motus de loco illo, donec revocata est Maria.

## CAPUT XIII.

Missi a Moyse 12. exploratores ad considerandam terram promissionis, palmitem cum botro aliiſque

Tom. I.

T

que

que fructibus in fertilitatis signum post 40. dies referunt; qui tamen universi, præter Caleb & Josue, murmur in populo concitant.

1 Profectusque est populus de Hazeroth: fixis tentorii in deserto Pharan.

2 Ibique locutus est Dominus ad Moysen dicens:

3 Mitte viros qui considerent Terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus, ex principibus.

4 Fecit Moyses quod Dominus imperaverat, de deserto Pharan mittens principes viros, quorum ista sunt nomina.

5 De tribu Ruben, Sammau filium Zechur.

6 De tribu Simeon, Saphat filium Huri.

7 De tribu Juda, Caleb filium Jephone.

8 De tribu Issachar, Igal filium Joseph.

9 De tribu Ephraim, Osee filium Nun.

10 De tribu Benjamin, Phalti filium Raphu.

11 De tribu Zabulon, Geddiel filium Sodi.

12 De tribu Joseph, sceptri Manasse, Gaddi filium Sufi.

13 De tribu Dan, Ammiel filium Gemalli.

14 De tribu Aser, Sthur filium Michael.

15 De tribu Nephtali, Nahabi filium Vapfi.

16 De tribu Gad, Guel filium Machi.

17 Hæc sunt nomina virorum, quos misit Moyses ad considerandam Terram: vocavitque Osee filium Nun, Josue.

18 Misit ergo eos Moyses ad considerandam Terram Chanaan, & dixit ad eos: Ascendite per meridianam plagam. Cumque veneritis ad montes,

19 Considerate Terram, qualis sit: & populum qui habitator est ejus, utrum fortis sit an infirmus: si pauci numero, an plures:

20 Ipsa Terra, bona an mala: urbes quales, muratæ an absque muris:

21 Humus, pinguis an sterilis, nemorosa an absque arboribus. Confortamini, & afferte nobis de fructibus Terræ. Erat autem tempus quando jam præcoquæ uvæ vesci possunt.

22 Cumque ascendissent, exploraverunt Terram a deserto Sin, usque Rohob intrantibus Emath.

23 Ascenderuntque ad meridiem: & venerunt in Hebron, ubi erant Achimam & Sifai & Tholmai filii Enac. Nam Hebron septem annis ante Tanim urbem Ægypti condita est.

24 \* Pergentesque usque ad fontem botri, absciderunt palmitem cum uva sura quem porterunt in veste duo viri. De malis quoque granatis & de ficis loci illius tulerunt:

25 Qui appellatus est Neheleseol, id est, Torrens botri: eo quod botrum portassent inde filii Israel.

26 Reversique exploratores Terræ post quadraginta dies, omni regione circuita,

27 Venerunt ad Moysen & Aaron & ad omnem cœtum filiorum Israel in deserto Pharan: quod est in Cades. Locutique eis & omni multitudi- ni ostenderunt fructus Terræ:

28 Et narraverunt, dicentes: Venimus in Terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognosci potest:

29 Sed cultores fortissimos habet, & urbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi.

30 Amalec habitat in meridie, Hethæus & Jebusæus & Amorrhæus in montanis: Chanaanæus vero moratur juxta mare & circa fluentia Jordanis.

31 Inter hæc Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait: Ascendamus, & possideamus Terram, quoniam poterimus obtinere eam.

32 Alii vero, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est.

33 Detraxeruntque Terræ, quam inspexerant, apud filios Israel, dicentes: Terra, quam iustitiamus, devorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est.

34 Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati, quasi locustæ videbamur.

## CAPUT XIV.

Murmur populi, auditis exploratoribus, frustra sedare conantur Josue & Caleb: iratum Dominum

placat Moyses: omnes morti in deserto addicuntur præter Caleb ac Josue; & pugnantes Israelitæ contra Domini voluntatem caduntur ab hostibus.

1 ¶ Gitur vociferans omnis turba flevit nocte illa,

2 Et murmurati sunt contra Moysen & Aaron cuncti filii Israel, dicentes:

3 Utinam mortui essemus in Ægypto: & in hac vasta solitudine utinam pereamus, & non inducat nos Dominus in Terram istam, ne cadamus gladio, & uxores ac liberi nostri ducantur captivi. Nonne melius est reverti in Ægyptum?

4 Dixeruntque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum.

5 Quo audit Moyses & Aaron ceciderunt pro ni in terram coram omni multitudine filiorum Israel.

6 \* At vero Josue filius Nun, & Caleb filius Jephone, qui & ipsi iustraverant terram, sciderunt vestimenta sua,

7 Et ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt: Terra, quam circumivimus, valde bona est.

8 Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem.

9 Nolite rebelles esse contra Dominum: neque timeatis populum Terræ hujus, quia sicut panem ita eos possumus devorare, recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere.

10 Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israel.

11 Et dixit Dominus ad Moysen: Usquequo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi, in omnibus signis quæ feci coram eis?

12 Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam: te autem faciam principem super gentem magnam, & fortiorem quam hæc est.

13 Et ait Moyses ad Dominum: Ut audiant Ægyptii, de quorum medio eduxisti populum istum,

14 Et habitatores Terræ hujus, qui audierunt quod tu Domine in populo isto sis, & facie videaris ad faciem, \* nubes tua protegat illos, & in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem:

\* Eccl.

46. 9.

1. Mac. 2.

55. 56.

\* Exod.

13. 21.

15 Quod occideris tantam multitudinem quasi unum hominem, & dicant:

16 Non poterat introducere populum in Terram, pro qua juraverat: \* idcirco occidit eos in solitudine.

\* Exod.  
32. 28.

17 Magnificetur ergo fortitudo Domini sicut jurasti, dicens:

18 \* Dominus patiens & multæ misericordiæ, \* auferens iniquitatem & scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem.

\* Psal.  
101. 8.\* Exod.  
34. 7. 28.

5.

19 Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum.

20 Dixitque Dominus: dimisi juxta verbum tuum.

21 Vivo ego: & implebitur gloria Domini universa terra.

22 Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto & in solitudine, & tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ,

23 \* Non videbunt Terram pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam.

\* Deut.

35.

24 \* Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in Terram hanc, quam circumvit: & semen ejus possidebit eam.

\* Josue

14. 6.

25 Quoniam Amalecites & Chanaanæus habitant in vallibus. Cras movete castra, & revertimini in solitudinem per viam Maris rubri.

26 Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

27 Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? querelas filiorum Israel audivi.

28 Dic ergo eis: Vivo ego, ait Dominus: sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis.

29 \* In solitudine jacebunt cadavera vestra. Omnes qui numerati estis a viginti annis & supra, & murmurastis contra me,

\* Psal.

105. 26.

30 \* Non intrabitis Terram, super quam levavi manum meam ut habitare vos facerem,

\* Deut.

1. 35.

præter Caleb filium Jephone, & Josue filium Nun.  
31 Parvulos autem vestros, de quibus dixistis quod prædæ hostibus forent, introducam: ut videant Terram, quæ vobis displicuit.

32 Vestra cadavera jacebunt in solitudine.

33 Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto.

34 Juxta numerum quadraginta dierum, quibus confiderastis Terram: \* annus pro die imputabitur. \* Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis ultionem meam:

35 Quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ confurrexit adversum me: in solitudine hæc deficiet, & morietur.

36 \* Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam Terram, & qui reversi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes Terræ quod esset mala,

37 Mortui sunt, atque percussi in conspectu Domini.

38 Josue autem filius Nun, & Caleb filius Jephone, vixerunt ex omnibus qui perrexerant ad considerandam Terram.

39 Locutusque est Moyses universa verba hæc ad omnes filios Israel, & luxit populus nimis.

40 Et ecce mane primo surgentes ascenderunt verticem montis, atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est: quia peccavimus.

41 Quibus Moyses: Cur, inquit, transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedit in prosperum?

42 \* Nolite ascendere: non enim est Dominus vobiscum: ne corruatis coram inimicis vestris.

43 Amalecites & Chanaanæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino, nec erit Dominus vobiscum.

44 At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca autem testamenti Domini & Moyses non receperunt de castris.

45 Descenditque Amalecites & Chanaanæus, qui

\* Ezech.  
4. 6.  
\* Psal.  
94. 10.

\* Num.  
32. 13.  
1. Cor.  
10. 10.  
Hebr. 3.  
17.  
Judæ 5.

\* Deut.  
1. 42.

qui habitabat in monte: & percutiens eos atque concidens, persecutus est eos usque Horima.

## CAPUT XV.

Quæ libamenta iugressis terram offerenda sunt, ac primitiæ separandæ: pœna peccati per ignorantiam aut superbiam commissi: lapidatur qui Sabato ligna collegit: fimbriæ ac vittæ ab Hebræis per quatuor angulos palliorum ponendæ, quæ moneant eos legis Dei.

1 **L**ocutus est Dominus ad Moylen, dicens:  
2 Loquere ad filios Israel, & dices ad eos: Cum ingressi fueritis Terram habitationis vestræ, quam ego dabo vobis,

3 Et feceritis oblationem Domino in holocaustum, aut victimam, vota solventes, vel sponte offerentes munera, aut in solemnitatibus vestris adolentes odorem suavitatis Domino, de bobus sive de ovibus:

4 Offeret quicumque immolaverit victimam, sacrificium similitæ, decimam partem ephi, conspersæ oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin:

5 Et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ dabit in holocaustum sive in victimam. Per agnos singulos,

6 Et arietes erit sacrificium similitæ duarum decimarum quæ conspersa sit o'eo tertiæ partis hin:

7 Et vinum ad libamentum tertiæ partis ejusdem mensuræ offeret in odorem suavitatis Domino.

8 Quando vero de bobus feceris holocaustum aut hostiam, ut impleas votum vel pacificas victimas,

9 Dabis per singulos boves similitæ tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin:

10 Et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ in oblationem suavissimi odoris Domino.

11 Sic facies

12 Per singulos boves & arietes & agnos & hædos.

13 Tam indigentæ quam peregrini

14 Eodem ritu offerent sacrificia.

15 Unum præceptum erit atque iudicium tam vobis quam advenis terræ.

- 16 Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:  
 17 Loquere filiis Israel, & dices ad eos:  
 18 Cum veneritis in terram, quam dabo vobis,  
 19 Et comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino  
 20 De cibis vestris. Sicut de areis primitias separatis,  
 21 Ita & depulmentis dabitur primitiva Domino.  
 22 Quod si per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus ad Moysen,  
 23 Et mandavit per eum ad vos, a die quæ cepit jubere & ultra,  
 24 Oblitaque fuerit facere multitudo: offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, & sacrificium ejus ac liba, ut cæremonia postulant, hircumque pro peccato:  
 25 Et rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel: & dimittetur eis: quoniam non sponte peccaverunt, nihilominus offerentes incensum Domino pro se & pro peccato atque errore suo:  
 26 Et dimittetur universæ plebi filiorum Israel, & advenis qui peregrinantur inter eos: quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam.  
 27 Quod si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo:  
 28 Et deprecabitur pro ea sacerdos, quod inscicia peccaverit coram Domino: impetrabitque ei veniam, & dimittetur illi.  
 29 Tam indigenis quam advenis una lex erit omnium, qui peccaverint ignorantes.  
 30 Anima vero, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus, (quoniam adversus Dominum rebellis fuit) peribit de populo suo:  
 31 Verbum enim Domini contempsit, & præceptum illius fecit irritum: ideoque delebitur, & portabit iniquitatem suam.  
 32 Factum est autem, cum essent filii Israel in solitudine, & invenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati,  
 33 Obtulerunt eum Moyse & Aaron & universæ multitudini.

- 34 Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent.  
 35 Dixitque Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.  
 36 Cumque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus, & mortuus est sicut præceperat Dominus.  
 37 Dixit quoque Dominus ad Moysen:  
 38 Loquere filiis Israel, & dices ad eos \* ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas:  
 39 Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas & oculos per res varias fornicantes,  
 40 Sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo.  
 41 Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de Terra Ægypti, ut essem Deus vester.

## CAPUT XVI.

*Core, Dathan & Abiron seditionem movent contra Moysen & Aaron, ambiuntque principatum & sacerdotium, unde eos vivos terra absorbet: & ignis interficit 250 viros offerentes incensum: & alios 14700. murmurantes consumpsit incendium, quod oratione sua Aaron compescuit.*

- 1 Ecce autem Core filius Inaar, filii Caath, filii Levi, & Dathan atque Abiron filii Eliab, Hor quoque filius Pheleth de filiis Ruben,  
 2 Surrexerunt contra Moysen, alique filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres synagoge, & qui tempore concilii per nomina vocabantur.  
 3 \* Cumque stetit aduersum Moysen & Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: cur elevamini super populum Domini?  
 4 Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem:  
 5 Locutusque ad Core & ad omnem multitudinem: Mane, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi: & quos elegerit, appropinquabunt ei.  
 6 Hoc igitur facite: Tollat unusquisque thuri-

\* Deut.  
22. 10.  
Math.  
23. 5.

\* Eccl.  
45. 27.  
1. Cor.  
10. 10.  
Judæ v.  
11.

ribula sua, tu Core, & omne concilium tuum:

7 Et hausto cras igne, ponite desuper thymiana coram Domino: & quemcumque elegerit, ipse erit sanctus: multum erigimini filii Levi.

8 Dixitque rursus ad Core: Audite, filii Levi:

9 Num parum vobis est, quod separavit vos Deus Israel ab omni populo, & junxit sibi, ut ferviretis ei in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei?

10 Idcirco ad se fecit accedere te & omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vindicaretis.

11 Et omnis globus tuus stet contra Dominum? quid est enim Aaron ut murmuretis contra eum?

12 Misit ergo Moyses ut vocaret Dathan & Abiron filios Eliab. Qui responderunt: Non venimus:

13 Numquid parum est tibi quod eduxisti nos de terra, quæ lacte & melle manabat, ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri?

14 Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum & vinearum: an & oculos nostros vis eruere? non venimus.

15 Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum: tu scis quod ne asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.

16 Dixitque ad Core: Tu, & omnis congregatio tua stete seorsum coram Domino, & Aaron die crastino separatim.

17 Tollite singuli thuribula vestra, & ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula: Aaron quoque teneat thuribulum suum.

18 Quod cum fecissent, stantibus Moysse & Aaron,

19 Et coacervassent adversum eos omnem multitudinem ad osium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini.

20 Locutusque Dominus ad Moysen & Aaron, ait:

21 Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam.

22 Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua deserviet?

23 Et ait Dominus ad Moysen:

24 Præcipe universo populo ut separaretur a tabernaculis Core, & Dathan & Abiron.

25 Surrexitque Moyses, & abiit ad Dathan & Abiron: & sequentibus eum senioribus Israel,

26 Dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.

27 Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan & Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum uxoribus & liberis, omnique frequentia.

28 Et ait Moyses: In hoc sciatis, quod Dominus miserit me ut facerem universa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim:

29 Si consueta hominum morte interierint, & visitaverit eos plaga, qua & cæteri visitari solent, non misit me Dominus:

30 Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos & omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, sciatis quod blasphemaverint Dominum.

31 \* Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum:

32 Et aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis & universa substantia eorum.

33 Descenderuntque vivi in infernum operi humo, & perierunt de medio multitudinis.

34 At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne forte & nos terra deglutiat.

35 Sed & ignis egressus a Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.

36 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

37 Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, & ignem hue

\* Deut.  
11. 6.  
Psal.  
105. 17.  
16.



huc illucque dispergat : quoniam sanctificata sunt  
38 In mortibus peccatorum : producatque ea in  
laminas, & affigat altari, eo quod oblatum fit  
in eis incensum Domino, & sanctificata sint, ut  
cernant ea pro signo & monumento filii Israel.

39 Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ænea,  
in quibus obtulerant hi quos incendium devora-  
vit, & produxit ea in laminas, affigens altari :

40 Ut haberent postea filii Israel, quibus com-  
monerentur, ne quis accedat alienigena, & qui  
non est de femine Aaron, ad offerendum incen-  
sum Domino, ne patiatur sicut passus est Core,  
& omnis congregatio ejus, loquente Domino ad  
Moysen.

41 Murmuravit autem omnis multitudo filio-  
rum Israel sequenti die contra Moysen & Aaron,  
dicens : Vos interfecistis populum Domini.

42 Cumque oriretur seditio, & tumultus in-  
cresceret,

43 Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum  
fœderis. Quod, postquam ingressi sunt, operuit  
nubes, & apparuit gloria Domini.

44 Dixitque Dominus ad Moysen :

45 Recedite de medio hujus multitudinis, etiam  
nunc delebo eos. Cumque jacerent in terra,

46 Dixit Moyses ad Aaron : Tolle thuribu-  
lum, & hausto igne de altari, mitte incensum  
desuper, pergens cito ad populum ut roges pro  
eis : \* jam enim egressa est ira a Domino, &  
plaga desavit.

47 Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad  
mediam multitudinem, quam jam vastabat incen-  
dium, obtulit thymiamam :

48 Et stans inter mortuos ac viventes, pro  
populo deprecatus est, & plaga cessavit.

49 Fuerunt autem qui percussi sunt, quatuor-  
decim millia hominum, & septingenti, absque  
his qui perierant in seditione Core :

50 Reverlususque est Aaron ad Moysen ad ostium  
tabernaculi fœderis postquam quievit interitus.

## CAPUT XVII.

Sumptis 12. virgīs a duodecim tribuum princi-  
pi-

piibus, sola Aaronis virga floruit, ac fructum pro-  
duxit ; hoc miraculo & indicio Sacerdotium illi a  
Deo confirmatur ; servataque est in tabernaculo  
testimonii.

1 **E**T locutus est Dominus ad Moysen, dicens :  
2 Loquere ad filios Israel, & accipe ab  
eis virgas singulas per cognationes suas, a cun-  
ctis principibus tribuum, virgas duodecim, &  
uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ.

3 Nomen autem Aaron erit in tribu Levi, & una  
virga cunctas seorsum familias continebit :

4 Ponesque eas in tabernaculo fœderis coram  
testimonio, ubi loquar ad te.

5 Quem ex his elegero, germinabit virga ejus :  
& cohibebo a me querimonias filiorum Israel,  
quibus contra vos murmurant.

6 Locutusque est Moyses ad filios Israel, &  
dederunt ei omnes principes virgas per singulas  
tribus : fueruntque virgæ duodecim absque virga  
Aaron.

7 Quas cum posuisset Moyses coram Domino  
in tabernaculo testimonii :

8 Sequenti die regressus invenit germinasse vir-  
gam Aaron in domo Levi : & turgentibus gem-  
mis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in  
amygdalas deformati sunt.

9 Protulit ergo Moyses omnes virgas de con-  
spectu Domini ad cunctos filios Israel : viderunt-  
que & receperunt singuli virgas suas.

10 Dixitque Dominus ad Moysen : Refer vir-  
gam Aaron in tabernaculum testimonii, \* ut fer-  
vetur ibi in signum rebellionis filiorum Israel, &  
quiescant querelæ eorum a me, ne moriantur.

11 Fecitque Moyses sicut præceperat ei Do-  
minus.

12 Dixerunt autem filii Israel ad Moysen :  
Ecce consumpti sumus, omnes perivimus.

13 Quicumque accedit ad tabernaculum Do-  
mini, moritur. Num usque ad internecionem  
cuncti delendi sumus ?

## CAPUT XVIII.

De oneribus sacerdotum & excubiis Levitarum ;  
loco

*loco sortis hereditariae primitiae & oblationes ac sacrificia sacerdotibus, decimae autem Levitis assignantur, quae earum decimam rursum dabant Aaron.*

1 Dixitque Dominus ad Aaron: Tu, & filii tui, & domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem Sanctuarii: & tu & filii tui simul iustinebitis peccata sacerdotii vestri.

2 Sed & fratres tuos de tribu Levi, & sceptrum patris tui fume tecum, praestoque sint, & ministrent tibi: tu autem & filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii.

3 Excubabuntque Levitae ad praecpta tua, & ad cuncta opera tabernaculi: ita duntaxat, ut ad vasa Sanctuarii & ad altare non accedant, ne & illi moriantur, & vos pereatis simul.

4 Sint autem tecum, & excubent in custodiis tabernaculi, & in omnibus caeremoniis ejus. Alienigena non miscebitur vobis.

5 Excubate in custodia Sanctuarii, & in ministerio altaris: ne oriatur indignatio super filios Israel.

6 Ego dedi vobis fratres vestros Levitas de medio filiorum Israel, & tradidi donum Domino, ut serviant in ministeriis tabernaculi ejus.

7 Tu autem & filii tui custodite sacerdotium vestrum: & omnia quae ad cultum altaris pertinent, & intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur. Si quis externus acceperit, occidetur.

8 Locutusque est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quae sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi & filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna.

9 Haec ergo accipies de his, quae sanctificantur, & oblata sunt Domino. Omnis oblatio, & sacrificium, & quicquid pro peccato atque delicto redditur mihi, & cedit in Sancta sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum.

10 In Sanctuario comedes illud: mares tantum edent ex eo, quia consecratum est tibi.

11 Primitias autem, quas voverint & obtulerint filii Israel, tibi dedi, & filiis tuis, ac filiabus tuis, jure perpetuo: qui mundus est in domo tua, vescetur eis.

12 Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti, quicquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi.

13 Universa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in usus tuos: qui mundus est in domo tua, vescetur eis.

14 Omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit.

15 Quidquid primum erumpit e vulva cunctae carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit: ita duntaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias, & omne animal quod immundum est, redimi facias.

16 Cujus redemptio erit post unum mensem filis argenti quinq; pondere Sanctuarii. \* Siclus viginti obolos habet.

17 Primogenitum autem bovis & ovis & caprae non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino: sanguinem tantum eorum fundes super altare, & adipem adolebis in suavissimum odorem Domino.

18 Carnes vero in usum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, & armus dexter, tua erunt.

19 Omnes primitias Sanctuarii, quas offerunt filii Israel Domino, tibi dedi, & filiis ac filiabus tuis, jure perpetuo. Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis.

20 Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars & hereditas tua in medio filiorum Israel.

21 Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio quo serviunt mihi in tabernaculo foederis:

22 Ut non accedant ultra filii Israel ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum.

23 Solis filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus, & portantibus peccata populi. Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris.

\* Nihil aliud possidebunt.

24 Decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum & necessaria separavi.

\* Numod.  
30-13.  
Levit. 27.  
25.  
Supra 3.  
47.  
Ezech. 45.  
12.

\* Deut.  
18. 1.

25 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

26 Præcipe Levitis, atque denuntia: Cum acceperitis a filiis Israel decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ.

27 Ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis quam de torcularibus:

28 Et de universis quorum accipitis primitias, offerte Domino, & date Aaron sacerdoti.

29 Omnia quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt.

30 Dicesque ad eos: Si præclara & meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area & torculari dederitis primitias:

31 Et comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quam familiæ vestræ: quia pretium est pro ministerio, quo servitis in tabernaculo testimonii.

32 Et non peccabitis super hoc, egregia vobis & pingua reservantes, ne polluatis oblationes filiorum Israel, & moriamini.

## CAPUT XIX.

*Ritus parandi aquam lustrationis traditur, ex cinere vaccæ rufæ fiebat aqua expiationis, qua varix immunditiæ abluiebantur: de moriente in tabernaculo, & vase non habente operculum, ac tangente cadaver hominis.*

1 Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

2 Ista est religio victimæ quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israel, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum:

3 Tradetisque eam Eleazaro sacerdoti: \* qui eductam extra castra immolabit in conspectu omnium:

4 Et tingens digitum in sanguine ejus, asperget contra fores tabernaculi septem vicibus,

5 Comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus ejus quam sanguine & fimo flammæ traditis,

6 Lignum quoque cedrinum, & hyssopum, cocum.

zumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat.

7 Et tunc demum, lotis vestibus & corpore suo, ingreditur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperum:

8 Sed & ille qui combufferit eam, lavabit vestimenta sua & corpus, & immundus erit usque ad vesperum.

9 Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam asperfusionis: quia pro peccato vacca combusta est.

10 Cumque laverit, qui vaccæ portaverat cineres, vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum. Habebunt hoc filii Israel & advenæ, qui habitant inter eos, sanctum jure perpetuo.

11 Qui tetigerit cadaver hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus:

12 Aspergetur ex hac aqua die tertio & septimo, & sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari.

13 Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus hac commissione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Israel: quia aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitiæ ejus super eum.

14 Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo: Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & universa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus.

15 Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.

16 Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulchrum, immundus erit septem diebus.

17 Tollentque de cineribus combustionis atque peccati, & mittent aquas vivas super eos in vas.

18 In quibus cum homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, & cunctam suppellectilem, & homines hujuscemodi contagione pollutos:

19 Atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio & septimo die: expiatusque die septimo, lavabit & se & vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum.

20 Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiae: quia Sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus.

21 Erit hoc præceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperum.

22 Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima, quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum.

## CAPUT XX.

*Maria moritur: murmuranti populo aqua e petra fluit. Moyses & Aaron offendunt Deum ad aquas contradictionis; ideo privantur ingressu terræ promissæ: neganteque transitum Edom, discedunt ad montem Hor; ubi consecrato in summum sacerdotem Eleazaro moritur Aaron pater ipsius.*

1 **V**eneruntque filii Israel, & omnis multitudo in desertum Sin, mense primo: & mansit populus in Cades. Mortuaque est ibi Maria, & sepulta in eodem loco.

2 Cumque indigeret aqua populus, conveniunt adversum Moysen & Aaron:

3 Et versi in seditionem, dixerunt: Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino.

\* Exod.  
17. 3.

4 \* Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, ut & nos & nostra jumenta moriamur?

5 Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, & adduxistis in locum istum pessimum, qui feri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogramata, insuper & aquam non habet ad bibendum?

6 Ingressusque Moyses & Aaron, dimissa multitudine, in tabernaculum fœderis, corruerunt pro ni in terram, clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus, audi clamorem hominis.

jus populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesser murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos.

7 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

8 Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo & jumenta ejus.

9 \* Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, \* Exod.  
17. 5. 6.

10 Congregata multitudine ante petram, dixitque eis: Audite, rebelles & increduli: \* Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere? Sap. 11.  
4.  
\* Psal. 77.  
15. 20.

11 Cumque elevarset Moyses manum, percussit virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet & jumenta. 1 Cor. 10.  
4.

12 Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron: \* Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in Terram, quam dabo eis. \* Deut. 1.  
37.

13 Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israel contra Dominum, & sanctificatus est in eis.

14 Misit interea nuntios Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent: Hæc mandat frater tuus Israel: Nosti omnem laborem qui apprehendit nos.

15 Quo modo descenderint patres nostri in Ægyptum, & habitaverimus ibi multo tempore, afflixerintque nos Ægyptii, & patres nostros:

16 Et quo modo clamaverimus ad Dominum, & exaudierit nos, miseritque angelum, qui eduxerit nos de Ægypto. Ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi,

17 Obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dexteram nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos.

18 Cui respondit Edom: Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi.

19 Dixeruntque filii Israel: Per terram gradiemur.

mur viam: & si biberimus aquas tuas nos & pecora nostra, dabimus quod iustum est: nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus.

20 At ille respondit: Non transibis. Statimque egressus est obuius, cum infinita multitudine, & manu forti,

21 Nec voluit acquiescere deprecanti, ut concederet transitum per fines suos, quamobrem divertit ab eo Israel.

22 Cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom:

23 Ubi locutus est Dominus ad Moysen:

24 Pergat, inquit, Aaron ad populos suos, non enim intrabit Terram, quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo, ad Aquas contradictionis.

\* *Infra*  
23. 38.  
*Deut.* 32.  
50.

25 \* Tolle Aaron & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor.

26 Cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus: Aaron colligetur, & morietur ibi.

27 Fecit Moyses ut præceperat Dominus: & ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine.

28 Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium ejus.

29 Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro.

30 Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.

#### CAPUT XXI.

*Vincitur ab Israel rex Chananæus: serpentes in populum ob itineris tædium, aquæ penuriam, manne nauseam murmurantem, immittuntur, quorum morsibus erectus serpens æneus medetur: Sehon & Og reges vincuntur.*

1 **Q**uod cum audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnavit contra illum, & victor existens, duxit ex eo prædam.

2 At

2 At Israel voto se Domino obligans ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus.

3 Exaudivitque Dominus preces Israel, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus: & vocavit nomen loci illius Horma, id est, anathema.

4 Profecti sunt autem & de monte Hor, per viam quæ ducit ad Mare rubrum, ut circumirent terram Edom. Et tædere cepit populum itineris ac laboris:

5 Locutusque contra Deum & Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.

6 \* Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, \* *Julith.*  
8. 25.  
*Sap.* 16.  
5.

7 Venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: ora ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo, \* *1. Cor.* 10.  
9.

8 Et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet.

9 \* Fecit ergo Moyses SERPENTEM ÆNEUM, & posuit eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur. \* *Joan.*  
3. 14.

10 Profectique filii Israel castrametati sunt in Oboth.

11 Unde egressi fixere tentoria in Jeabarim, in solitudine, quæ respicit Moab contra orientalem plagam.

12 Et inde moventes, venerunt ad Torrentem Zared,

13 Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, & prominet in finibus Amorrhæi: \* siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas & Amorrhæos. \* *Juste.*  
11. 18.

14 Unde dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in Mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon.

15 Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requie-